DE VOMITU DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICAM...

Giovanni Battista Catterina

DE

VOMITU

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

IN

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ADIPISCENDAM

PROPONIT

CATTERINA JOANNES BAPTISTA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLI.

ALL' ILLVSTRISSIMO E CHIARISSIMO

SIGNOR

LVIGI DR CATTERINA

I. R. GIVDICE DISTRETTVALE

DI STENICO

CIRCOLO DI ROVEREDO

MEMBRO DELL' I. R. SOCIETÀ AGRARIA

DEL TIROLO

E DEPVTATO DELLA MEDESIMA

NEL SVO DISTRETTO

IN SEGNO DI ETERNA GRATITVDINE

QVESTA SVA PRIMA FATICA

L' AVTORE

C O N S A C R A

Quidquid in nostra nobilissima hac arte non sit reapse, neque pernecessarium videatur, verum sit imaginationis, ingenii speciosi libidine invectum suffultumque, hoc nihil philosophiam sapit, quin imo ab omnibus sanae mentis philosophis reprobatur. Hoc videre est quidem in Seneca stoico, philosophiam, quae hominibus minime prodest, vanae ambitionis characterem praeseferre. Itaque ne vanitatis macula et ego offendar, vobisque ne, quam par est, longior videar, cito in argumentum quod mihi pertractandum occurrit, ingrediar. Morbus de quo verba facturus sum, communis est, ac parvi momenti nonnullis fortasse esse videtur. Sed utinam quam communis est, tam levis esset!

Vomitus, cujus nomen sat omnibus indicat quid ipse sit, me ab ejus definitione expedit; quapropter citissime de ejus symptomatibus, de differentiis, de causis et de curatione pertractabo.

Signa vomitus prodroma.

Ut primum vomitu ingruente, in ore, faucibus, ventriculo, gignitur sensatio molesta semper increscens, nausea, ardor, oppressio in regione

epigastrica, sputum frequens, pallor, rigor in facie, inferioris labii tremor, singultus, tussis, ructus, anxietas, alvique segnities: proximiore autem vomitu et ejus in nisu, in ventriculo irritatio suboritur superiores partes versus. Tunc abdominis musculi hypochondriaque relaxantur et vicissim contrahuntur, respiratio fit difficilis et quodammodo supprimitur, anxietas augetur, frontem et cutim viscidi sudores tegunt, sunt oculi in lacrimis, nares humorem copiosiorem secernunt, modo rubet, modo facies intumescit et tussis adaugetur. Symptomata tamen vomitus juxta periodum et causas differunt.

De vomitus differentiis.

Plures paeneque infinitae cum sint vomitus causae, tot ejusdem differentiae, ni fallor, esse debent. Quemadmodum stomachus esse potest male affectus vel ex aliquo in propria ejus fabrica vitio suborto, ex corruptis alimentis, a pravis intra intra ipsum humoribus effusis, vel est affectus ex morbi aliunde grassantis consensu; ita non absonum erit in duas species vomitum primum tribuere: alia dicitur idiopathici, sympathici alia. Quoties vomitus ab humoribus congestis et intra ventriculum latescentibus derivat, quoties diathesis cancerosa, ulcerosa, aut similis mali ingenii morbi in ejus substantia latent, vel peristalticus motus sit de quacunque illic morante causa inversus, vomitus toties idiopathicus appellatur; et contra sympathicus, si causa alias occupet corporis partes, ex quibus causis essent humores perversi, inflammationes in proximis

vel remotis, at semper cum ventriculo consentientibus partibus. Sunt etiam ejus causa naturales quaedam aut periodicae evacuationes suppressae, quae universam humorum in ventriculo profluentium naturam possunt depravare. Hoc quoque praestant animi pathemata et contentiones, vita iners, melancholicus humor et hujuscemodi alia.

Bifaria haec vomitus divisio discrimen notat inter sedem speciatim causae; sed differentiae quoad naturam, indolem et materies per vomitus depulsas aliae divisiones sunt. Dispertitur igitur vomitus in acutum, chronicum, periodicum, habitualem, criticum, salutarem, serosum, pituitosum, biliosum etc.

Ex ipsis vocibus clare satis patet quid sub harum specierum nomine veniat. Potiores tamen praetergredi non possum, utpote quae vel magis occurrunt, vel alias aliqua rationes includunt.

De vomitu acuto.

Cum occasionalis causa ventriculum ad vomendum vehementius impellit, tum vomitus acutus dicitur. Habemus in gastritide exemplum, in qua ex leviori cibi vel potus sumptione ventriculus fortiter irritatur, et ingruente vomitu maximam doloris sensationem perfert. In cholera, ex vegetabili aut minerali veneno, aut quovis drastico, licet in medicinae modum comparatis, stomachus atque intestina forti convulsione conflictantur, humoresque cum a podice, tum ab oesophago profluunt. Quid ultra hanc speciem persequor? Nimis frequens est hujus notae vo-

mitus ab aviditate. a gula subortus, quia saepe accidit quod cibis immodice captis post parum temporis hujus visceris fibrae impetitae nimium atque distentae vomitum ciere coguntur. Quod si propter illatum spasmum in pristinam conditionem normalem non secedant, morbus alterius generis subrepit, vel chronicus vomitus evadit.

De chronico.

Hic periodi rationes servat, aut potius in ipso est periodo attendendus. Ex alimentis aut pravae indolis aut nimium copiosis oriri potest; ex pinguibus, crudis, rancidis, acidis aut plus aequo fermentatis. Hinc cerevisia, vina vapida ceteraque hujus generis veniunt, quae die postera in ventriculo ingratam sensationem gignunt et omnia vomitus symptomata, quibus vomitus subsequitur.

De causis vomitus speciatim idiopathici.

Hujus causa a graviori in ventriculo stimulo, a multa ejus contractione, a pylori foramine plus minus occluso, quo ingressum ad duodenum impediat, originem habere potest. Ventriculi ipsius vasis, nervis, cellulis, glandulis fabrica obvoluta ejusque vis et actio, quae a plurimorum viscerum integritate dependent, exquisita ejus sensilitas, haec omnia faciunt, ut vix aut ne vix quidem concludi possit quibus ac multo minus quot de causis vomitus cieri queat. Id omne quod necessarium impedit ventriculi motum, causa vo-

mitus idiopathici esse potest. Hic recensentur nimia ciborum et potus copia, et alimentorum qualitas, vel ipsa alimenta a dentibus aut a gastrico succo non aeque trita atque subacta; ipsorum in ventriculo mora propter pylori angustiam, carnium corruptio, mala indoles etc., nimia aeris evolutio, humores indolis noxiae, et vermes in ventriculo ascendentes. Interdum ventriculi membranae, aut omnes aut membratim, nonnunquam etiam cartilaginosae efficiuntur: in his glandulosi, scirrhosi, cystici tumores sedem reponentes ventriculi molem adaugent, aut ita afficiunt, ut ejus functiones plus minus laedantur. Quoties occurrunt vitia in pyloro observanda? Scirrhi, steatomata, ulcera aut quodlibet extraneum corpus vel deglutitum, vel hinc enatum, possunt ita offendere, ut citissime vomitum incitent.

Hactenus de idiopathico, aliquid nunc de sympathico addatur.

De sympathico.

Si organorum omnium harmoniae, qua sibi invicem respondent, paullisper attendatur, sola vomitus sympathici praesentia in mentem recursat. Multae sunt huic visceri continuae partes et contiguae, quae dum aliqua affectione captae sint, non possunt, quin eam cito stomacho communicent. Exempla vomitus patent qui a fracta aut cartilagine mucronata de sede eversa originem habuit. Ipsi Petro Frank observatus venit vomitus pluries incitatus in sutore quodam a sterni dilatatione. Sed utinam has tantum sym-

pathicas causas dinumerare possemus, quod multoties animadvertimus in glandulis mesentericis et in visceribus abdominalibus obstructionem, scirrhum, steatoma, calculos ventriculum et exta adeo urgentes, ut vomitum faciant! Oritur is quoque a phthisi, ab ulceribus et pulmonum, in ejus praecipue lobis, tuberculis. Ortum etiam esse a concitatis, compressis et nimium strangulatis herniis, chirurgos neutiquam latet. Ulcus praepostere curatum, podagrae recessio, praesertim propter remedia stimulantia et adstringentia, sunt interdum vomitus causae. Hoc in casu ventriculus reprimitur, atque appetitus aufertur, nausea promovetur, atque dolores in regione epigastrica adeo vehementes incutiuntur, ut in veneni ac gastritidis suspicionem incidamus: in manibus atque in pedibus redeunte podagra, dolor nullus, angustiae nullae. Duae hac de re, quas Frank affert, observationes mihi ad rem nostram facere videntur. Papiae quidam aeger erat, qui podagra olim laboraverat, cui inde coepit cor fere assiduis palpitationibus et pulsibus intermittentibus agi, ac venter ita intumescere, ut obstructionibus infirmatus videretur. Resolventia ceteraque ad id remedia inutilia prorsus eo usque fuere, quo ob podagricos dolores in pedibus reversos, venter potuit ad pristinum statum regredi. Quaedam mediolanensis femina cum vomitu atroci post tres vel quatuor menses recidivo morbo divexata esset, nullisque ex eo argumentis convalescere posset, se se Papiam transtulit. Licet enim podagra raro feminas invadat, Franckius hanc feminam, quaecumque fuerit parens causa, doloribus arthriticis crebris cruciatam ad-

vertit, qui omnes vomitu ingruente evanuere. Huic copiam magnam extracti aconiti, sinapis pediluvia et in hebdomada quinque in pedibus vesicatoria emplastra administravit. Uno circiter elapso mense forti podagrae accessione correpta fuit, quae vomitum prorsum fugavit. In cadaveris autopsia, in superficie ventriculi et in pectoris cavo atque intra pericardium visui sese aquae praebuerunt. Hucusque dictum parum de vomitu sympathico putetur, quia de eo veluti in propria sede dominanti dictum adhuc non est, scilicet in mulieribus gravidis, quae ut societati universae, sic medico etiam debent valdopere cordi esse. Hic gravidarum vomitus qui fere semper a textus nervosi et cellularis irritatione, nec non ab humorum nova conditione pendet, consensualis est. A prima graviditatis epocha de more incipit, vel ex paucis hebdomadis: in aliquibus attamen serius. In aliis sequitur prima menstruorum cessatione. Mitis modo est, fortis modo, frequens, rarus vel copiosus interdum: et jejunus stomachus et repletus cietur in vomitum.

In aliis materia amara est, in aliis mucosa, sanguinea etc. in aliis. Eas frequentius opprimit, quae copiosis catameniis obnoxiae sunt, aut eas praesertim quae vitam mollem aut inertem agunt.

Paullo plus paullo minus perdurat, sed plerumque gestationis finem attingit.

Morbi prognosis.

Habita causarum et vis vomitus ratione, effectus pravi vel sane lethales oriuntur. Hinc mor-

792

borum series infinita prorsus expectanda est: apoplexia, bronchocele, pulmonum plurima et oesofagi vitia, herniae in genere, vel uteri, ejusdemque prolapsus et abortus, ecchymosis, periculosa vasorum dilatatio, aneurysmata, varices cum internae, tum externae, haemorrhagiae aliaque sanguinis impedimenta, sputum copiosum et sanguinis exscreationes in vomitu et in ejus nisu. Infert etiam in nervosum systema atque in alia paene omnia damna plurima. Hoc enim in malo adest semper gastrici succi ciborumque jactura, nutritio capit damnum, et debilitas et nervatio subsequuntur. Quod si ille insolens sit et obstinatus, intestinorum motum peristalticum infirmat, invertit, alvum adstringit, singultum, convulsionem, atrophiam provehit, inducit.

Vomitus autem cujus causa in ventriculo persistat, quem ulcus, callositas, scirrhus, aut causae aliae proxime urgeant, hic insanabilis est. Si vero de feminis gravidis sit sermo, is fere semper nocet. Hinc ventriculi languor, hinc uteri hernia, vaginae prolapsus, hinc tristis abortus quoad materiae iterum datae qualitatem, si ea malae notae sit, quod in illo morbo ut plurimum accidit, et materia ingrate et valde olet, si hoc in casu dolores, quin effectus et causae cessent, elidantur, est gangraenae indicium. Quibus consideratis, infaustum semper omen dicendum est.

Curatio.

Vomitus non eos tantum pravos effectus edit, quos jamdudum dinumeravi, verum etiam mul-

tifarios et praviores adeo, ut longum, imo impossibile esset eos recensere. Obstare igitur hosti ad funera parati totis viribus oportet. Vomitus utique salutaris quandoque esse potest, atque tunc obsecundandus et provehendus est. Quod curam proximius attinet, ea fere semper rationes tum causarum tum constitutionis atque aliorum omnium quae individuum spectant, habet.

Sit e. g. ab hernia ortus, opportuna argumenta et praesidia adhibenda sunt. Cum a venenis provehatur, generatim haud cohibendus est, sed aqua tepenti aliaque ratione ciendus. Quod si antidota praesto sint, capienda illico sunt, quatenus veneni naturam et qualitatem, vel chimica affinitate facultates tollendo, vel neutram substantiam efficiendo, valent immutare. Inter generalia antidota adsunt mucilago arabica, oleosa plurima et lac. Ab ingluvie vel crudis alimentis subortus, levi vomitorio, potu diluenti, acescenti cathartico levi tractandus est. In vomitu ad modicum iterum ingruenti in quibusdam, praecipue compagis gracilis, praecavenda vegetabilia flatulenta, et ceviae potus negari; verum tantummodo tenerrimae animalium carnes, praesertim piscium fluminis, concedi possunt. Juvat bonum vinum vetus suppeditare, at modice; prodest corporis moderata exercitatio et bonum mentis gaudium; contraria nocent. Faciunt ad rem infusiones plantarum centaureae minoris, ligni quassiae chalybeatae praeparationes, cortex peruvianus et liquor mineralis anodynus. Ubi materia acida in ventriculo adstet, alcalinorum et absorbentium usus bonus est: cum scirrhus, steatoma, callositas vigeant, diagnosis dif-

ficilis est. Nihilominus in hanc suspicionem dum incidamus, palliativa, sic dicta, methodus adhibenda est, unde extracta taraxaci, saponariae, graminis, gummae ammoniacae, medicinalis sapo et prudens mercurii usus prosunt. Ne scirrhus eat in cancrum, sit modus in victu, quapropter tenuis et quidem frequens, ne ventriculus alimentorum pondere hinc inde gravetur. Si vomitus ab intestinorum immodica contractione pendeat, praesto semper sint emulsiones mucilaginosae, oleum seminum lini, amygdalarum dulcium aut seminum ricini, clysteria emollientia, oleosa atque nutrientia. In vomitu ex ileo morbo incitato adhibendae sunt tepentis aquae ceterorumque linientium injectiones, clysterii aut latioris siphonis ope. Celebris De Haen in quibusdam de ilei morbi factis recensitis adnotavit, oleosa vicissim cum stimulantibus boni plurimum fecisse, et multa exempla optimam in salutem hac ratione restitutorum exhibet, quae brevitatis gratia praetereo atque ad potiora vertor. Vomitus ex inertia et ventriculi atonia ortus, elixir stomachico viscerali Hoffmanni, essentia quassiae gentianae, absinthii, aqua cinnamomi, frictionibus aromaticis ad ventriculi regionem, sinapis emplastris vesicatoriisque etc. medetur. Cum ex nimia ventriculi sensilitate proveniet, demulcentia, antispasmodica voto respondent: cum ab arthritidis, herpetis retropulsione, emplastra, epispastica, sulphur auratum antimonii, ut optima indicantur. Mulierum autem vomitus, ex earum foetura, causam tollendo usque dum foetae sint, mederi profecto non potest.

Ergo medicamentis sic dictis sedativis moderandus est.

Dissertationis finem ponere jam vero oportet: eam nollem lectores forsan praegravasse: quod si sibi medicinam faciant, velim, non illam a se dispellendo, sed sibi quietem comparando obsignantes libellum.

THESES DEFENDENDAE

I.

Neglecta nostro aevo lactatio infantium uberiorem morbo scrophuloso fontem aperuit.

II.

Vomitus haberi nequit sine diaphragmatis musculorumque abdominalium contractione.

III.

Opium in doloribus hyposthenicis optimum sedativum, in hypersthenicis malum.

IV.

Diarrhoea saepe purgantibus sanatur.

V.

Dantur indicationes partum praematurum provocandi.

VI.

Pneumonia plus periculi, quam doloris habet.

VII.

Demolitio mammarum in cancro aperto damnanda.

VIII.

Juxta systema scribere, et non praescribere licet.

IX.

Cretinismus miserum constitutionis genus ex aere maxime derivandum.

X.

Superfoetatio rationibus theoreticis non potest impugnari.